



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

III. An idem assensus fidei possit tendere circa obiectum reuelatum per
aliud medium scie[n]tificum vel probabile.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

nem, vel per visionem propriam illius speciei exter-
nae, sicut etiam complebatur per miracula visa,
& nunc completur etiam partialiter per miracula
audita, & sufficienter propofita, vt in superiori-
bus late explicatum est.

Tertio obiciunt, quia minus luminosum cor-
ram magis luminoso non illuminatur, v.g. stella cor-
ram Sole, ergo nec fides coram euidencia. Respon-
deo, stellam verè illuminare partialiter etiam cor-
ram Sole quoad aliquem gradum, vt dixi in philo-
sophia; non tamen apparet, eo quod totum
spatium proximam cœli habet à Sole æqualem
lucem, & ideo non possumus visu discernere stel-
lam à reliquo cœlo.

Quarto obiciunt, quia spes non potest esse
cum visione; nam quod quis videt, quid sperat;
ergo nec fides. Respondeo in primis concedendo
totum de visione; cum qua non potest esse fides
vt supra dixi. Deinde concessio antecedenti, potest
negari consequentia; quia spes essentialiter
respicit bonum absens, vt absens; nã erigit se cõ-
tra difficultates, quæ concurrunt in consequentia
ne illius boni: fides verò essentialiter solum res-
picit reuelationem obscuram: potest autem esse
reuelatio obscura de obiecto aliunde clarè scito.
Imo ex ipsa spe magis potest confirmari nostra
sententia; nam sicut spes non datur cum visione
obiecti præsentis, bene tamen cum cognitione
etiam euidenti boni futuri, qualem cognitionem
fortasse habent animæ in purgatorio: sic fides,
licet dari non possit cum visione, bene tamen
cum cognitione abstractiua euidenti. Sed reuera
argumentum à spe ad fidem non est firmum,
quia valde diuersa est vtriusque natura, vt vide-
bimus infra agentes de virtute spei.

Quinto Obiciunt, quia assensus fidei debet
esse liber: quando autem obiectum euidenter
constat, non assentitur liberè intellectus, sed ex
necessitate, ergo non erit assensus fidei. Ad hoc
facile responderetur ex dictis; actum fidei semper
esse liberum, quia licet aliunde necessitetur intel-
lectus ad assentiendum illi obiecto, numquam
tamen necessitetur ad credendum illud ex moti-
u reuelationis diuinæ, quod sufficit, vt actus fidei
liber sit, non quidem in se, sed in causa, nempe
in voluntate imperante, siue sit voluntas impe-
rans solum assensum ad veracitatem, & reuelatio-
nem, quo assensu stante, necessitetur intellectus
ad credendum obiectum reuelatum propter diui-
nam auctoritatem, siue requiratur etiam voluntas
alia imperans alium assensum præter assensum
præmissarum, de quo dicemus infra agentes de vo-
luntate piæ affectionis requisita ad actum fidei.

SECTIO III.

An idem assensus fidei possit tendere circa
obiectum reuelatum per aliud medium
scientificum vel probabile.

Vidimus sectione præcedenti, posse coniungi
assensum fidei cum cognitione euidenti sal-
tem abstractiua eiusdem obiecti: inquirimus mo-
do, an proposito vtroque motiui ad assenti-
endum, scilicet reuelatione diuinæ, & medio demõ-
stratiuo, possit intellectus vnico actu assentiri
propter vtrumque motiuium, quod etiam de mo-
tiu probabili eodem modo dubitari potest, an

coniungi possit cum motiui fidei in eodem nu-
mero actu. Supponendum autem est, non esse
dubium, quod intellectus vnico actu possit attingere
duplex motiuium partiale; quando ex vtro-
que constatur medium necessarium ad assenti-
endum conclusioni, pro vt de facto constatur ex du-
plici præmissa obiectiua, neque enim potest vno
actu assentiri conclusioni propter vnã præmis-
sam, & altero actu assentiri conclusioni propter
alteram præmissam simul; quia vnã præmissa so-
la non est medium, nec motiuium sufficiens ad
assentiendum conclusioni. Vnde fides eodem actu
debet assentiri obiecto reuelato propter veracita-
tatem Dei, & propter reuelationem; quia singula
seorsim non possunt mouere ad fidem obiecti re-
uelati. Sic etiam assensus Theologicus eodem actu
atingit principium reuelatum, & alterum etiam
principium non reuelatum, quia singula seorsim
non mouent ad assensum conclusionis Theolo-
gicæ. Non procedit ergo questio in hoc sensu,
sed quando sunt duo motiua completa in suo
ordine, singula continentia duas præmissas, v. g.
si sit argumentum Philosophicum demonstrans
immortalitatem animæ rationalis, & rursus pro-
ponatur sufficienter eadem immortalitas animæ
reuelata à Deo summè veraci; an possimus vnico
actu assentiri immortalitati animæ, & propter
medium Philosophicum demonstratiuum; &
propter reuelationem & veracitatem Dei, qui
assensus, pro vt innititur medio Philosophico, sit
scientificus, & pro vt innititur diuino testimo-
nio, sit actus fidei.

Intellectus
vnico actu
potest attingere
duplex
motiuium
partiale.

Duplex sensus
quasi-
simis.

Supponendum secundo illa duo motiua in
sensu posteriori propofita adhuc posse dupliciter
mouere intellectum ad assensum conclusionis.
Primo, ita vt singula moueant solum partialiter
nec intellectus propter singula seorsim adæquatè
assentiat conclusioni; sæpe enim contingit, vt
quod singula argumenta seorsim non persuadent
omnia, tamen multiplicata, & collecta conuin-
cant; vnde dici communiter solet, *singula, quæ
non profunt, simul collecta iuuant.* Secundo pos-
sunt ita mouere, vt singula ex parte sua adæqua-
tè moueant: non quidem ita, vt ablato vno ex
illis motiuis, manere possit idem assensus; hoc
enim est impossibile, cum non possit esse idem
actus, ablato aliquo obiecto, quod de facto per
talem actum intrinsecè attingitur; & in hoc sen-
su singula sunt motiua partialia solum, quatenus
ab omnibus totaliter, & à singulis partialiter de-
pendet, hic numero assensus, qui sine illis omni-
bus esse non possit: dici tamen possunt in alio
sensu singula esse motiua totalia, quatenus à sin-
gulis ita sufficienter mouetur, & persuadetur in-
tellectus, vt ex modo assentiendi ostendat, se pro-
pter omnia, & propter singula assentiri cõclusio-
ni, cum independentia vnus motiui ab alio, ita
vt cessante vno ex iis motiuis, adhuc assentiretur
conclusioni propter alterum motiuium remanens,
licet non eodem actu, quo nunc assentitur, vt di-
ctum est. Hoc autem ipsum, quod est attingere
motiua cum independentia vnus motiui ab alio,
& quasi motiua adæquata, & sufficientia ex par-
te motiui, est modus quidam tendendi diuersus
intrinsecus, & essentialis tali actui, quo intelle-
ctus non solum attingit motiua, sed explicat gra-
dum motionis singulorum, & quantum singulis,
motiuis deferat iuxta singulorum dignitatem &
pondus.

106
Duo motiua
in sensu po-
teriori propo-
fita possunt
dupliciter
mouere intel-
lectum ad as-
sensum con-
clusionis.

Potest autem totus hic modus diuersus attingendi

gendi intellectualia motiva explicari, & probari exemplo voluntatis, quæ similiter aliquando vult obiectum propter plura motiva, non totaliter propter singula, sed partialiter; aliquando vero propter singula totaliter, v.g. religiosus vitat peccatum contra castitatem propter præceptum sextum decalogi commune omnibus, & propter votum proprium à se emissum: quæ tamen motiva singula mouent totaliter, ita vt altero deficiente, adhuc propter alterum remanens feruaret castitatem, & ita afficitur voluntas ad verumque motiuum, vt isomet affectu explicet dignitatem, & pondus singulorum, & independentiam vnius ab alio. E contra verò Medicus audiens, esse in aliquo oppido multos ægrotos, & occasionem magni lucri, vult illic ire, non propter singulos sensim, ita vt si quilibet illorum ægrotaret, adhuc iret, sed propter omnes simul, vel saltem propter maiorem partem illorum, ita vt cessante maiori ex parte motiuo, illo, non iret. Quæ differentia explicari etiam potest in voluntate diuina, & in voluntate humana Christi circa redemptionem hominum: Deus enim ita vult incarnationem, & passionem Filij diuini propter redemptionem hominum, vt si non totum genus humanum perisset, sed vnus solus homo peccasset, propter illum solum non fuisset facta incarnatio ex vi præsentis decreti, quia non mota fuit diuina voluntas à remediis singulorum, tanquam à motiuis totalibus, vt explicui *disp. 7. de Incarnatione sect. 5.* At verò humanitas Christi ita se obtulit pro redemptione hominum, vt pro singulis etiam seorsim paratus esset mori, & ideo singuli debeant ei gratias, tanquam si pro vno solo mortuus esset, vt dixi eodem loco. Similiter ergo intellectus potest habere diuersum modum tendendi ad plura motiua, ita vt aliquando non moueatur à singulis seorsim, sed à collectione plurium; aliquando verò approbet singula, & moueatur ab illis seorsim cum independentia vnius ab alio. Quæstio ergo præsens non procedit in primo casu, quando intellectus assentiretur propter vtrumque motiuum simul, propter singula autem solum partialiter, sed quando eodem actu assentiretur obiecto materiali propter vtrumque motiuum, & propter singula totaliter, ostendens se credere conclusionem manente altero ex illis motiuis, & altero deficiente.

108
Preponitur
obiter quæ-
stionula, &
expeditur.

Ve tamen hoc obiter expediamus, petet fortasse aliquis, si intellectus primo modo vnico actu assentiretur propter motiuum fidei, & propter motiuum scientificum, non propter singula totaliter, nec cum independentia vnius ab alio, sed propter vtrumque simul, an ille assensus esset vere actus fidei? Respondeo, eandem quæstionem fieri posse de actu voluntatis, quo aliquis ex motiuo charitatis erga Deum, & ex motiuo misericordie, vel alio motiuo indifferenti subueniret pauperi, ita vt non moueretur à singulis motiuis seorsim, & totaliter, sed ab vtroque simul per modum vnius, an ille esset actus charitatis: in quo duplex potest esse quæstio; prima, an illi actus dicendi essent simpliciter actus fidei, vel charitatis propter ordinem illum ad motiuum fidei, vel charitatis, vt ad motiuum saltem partiale. Secunda quæstio esse potest, an propter illam attinentiam partialem actus illi elicendi essent ab habitibus infusis fidei, vel charitatis.

109

Et quod attinet ad primam quæstionem, puto,

illos actus non esse dicendos simpliciter, & absolute actus fidei diuinæ, vel charitatis. Nam hæc denominatio non tribuitur, nisi actibus perfectis, qui constituunt hominem simpliciter, & absolute fidelem, vel amicum Dei, ad quod illi actus non sufficerent. Qui enim iter ageret recreationis causa, & simul propter bonum Petri, ita tamen vt non moueatur totaliter à bono Petri, nec ex eo solo motiuo iter ageret, non est simpliciter, & absolute amicus, sed semiamicus, quatenus à bono amici semimouetur. Similiter ergo, qui non mouetur à solo motiuo charitatis erga Deum ad dandam elemosinam, nec ex eo solo motiuo eam daret, non est simpliciter, & absolute amicus, sed semiamicus Dei quod non sufficit ad iustificationem, nisi aliunde Deum diligat super omnia. Nec videtur dubium, quod non esset sufficienter dispositus ad iustificationem, qui relinqueret peccata, & doleat de illis, partim propter detrimentum bonorum temporalium, quod ei auferunt, partim propter Deum, ita tamen vt cessante motiuo priori non relinqueret peccata solum propter Deum: non est ergo ille actus simpliciter charitatis, & contritionis, sed imperfectus, & solum ex dimidia parte. Idem ergo dicendum est de assensu intellectuali rei reuelatæ, partim propter testimonium diuinum, & partim propter rationem Philosophicam; ita ut seclusa ratione Philosophica, non crederetur obiectum propter solum testimonium diuinum; neque enim tunc etiam homo crederet Deo simpliciter, & absolute, sed semicrederet, nec reuereretur debito modo diuinam auctoritatem, qui seclusa aliaratione Philosophica testificationem Dei non acceptaret, nec acceptat, nisi vt confirmatam, & associatam argumentis aliunde petitis.

Maior posset esse difficultas circa alteram quæstionem propositam, an eiusmodi actus habentes pro motiuo solum partiale diuinum testimonium, vel bonitatem Dei, elicerentur ab habitibus infusis fidei, vel charitatis. Hoc tamen pendet ab alia quæstione magis vniuersali, an habitus virtutum infusarum eliciant solum actus perfectos in genere talis virtutis, an vero deficiant etiam ad actus imperfectos in eo genere, v.g. an habitus charitatis eliciat solum actus, quibus amatur Deus super omnia, an alios etiam actus minus perfectos, quibus amatur idem Deus propter suam bonitatem infinitam, licet nec explicite, nec implicite ametur Deus tunc super omnia, de hoc tamen diximus *sup. disp. 1. sect. 1. 1.* & dicemus iterum *infra disp. 17. sect. 5.* agentes de subiecto fidei, ubi videndum erit, an assensus, quo propter diuinum testimonium creditur aliquis actualis, non tamen super omnia, sit supernaturalis, & elici possit ab habitu infuso fidei diuinæ.

His suppositis, quæstio præsens est, an vnico assensu assentiri possimus mysterio reuelato, tum propter motiuum diuini testimonij, tum etiam propter medium Philosophicum, vel quodlibet aliud demonstratiuum, propter singula totaliter, & ita vt altero ex illis motiuis cessante, adhuc ex vi alterius motiui remanentis retineretur assensus conclusionis, non quidem eodem actu, sed alio diuerso, qui respiceret vnicum solum motiuum.

Negant Suarez in *presenti disp. 3. sect. 9. non. 10. & sequentibus*, Turrianus *disp. 12. dubio 1.* Granado in *presenti tract. 2. disp. 7. n. 2.* Quamuis autem Turrianus pro hac sententia affectat Gregorium,

gorium, & Henticum, immerito tamen, vt notauit Hurtado in *presenti disp.* 3. 1. §. 10. eam tamen docent etiam alij Recentiores, quorum fundamenta postea examinabimus. Mihi tamen iam diu olim probabilior visa est pars affirmatiua, quam docui in lib. de anima, & in hac materia ante viginti octo annos, & nunc iterum amplectenda videtur cum Durando *quest. prima prologo num. 3.* Aragonio *art. 5. Ochamo quodlib. 3. q. 7. Gabr. in 3. distinct. 23. quest. 2. Capreolo distinct. 25. quest. vnica art. 3. ad 3. & 4. arg. Palud. dist. 24. quest. 3. art. 3. Molina 1. parte quest. 1. art. 1. disp. 1. Fonseca 6. Metaph. cap. 1. quest. 1. sect. 5. littera F. Valentia in *presenti quest. 1. puncto 4. §. 2.* ante solutionem argumentorum: refertur etiam Victoria in *presenti in manuscriptis huius materiae dub. 3.* & fauent Conimbr. *primo post. cap. 2. §. 2. art. 4.* & plures graues, ac docti Recentiores, & late probat Hurtado *dicta disp. 3. 1. §. 32.* & Ripalda *tom. 1. de ente supernaturali disp. 47. num. 14. & sequentibus.**

112. Probatur primò, quia non repugnat eodem actu respicere duplex obiectum formale; ergo nec assentiri propter motiuum fidei, & opinionis, vel scientiæ. Consequentia constat dissolueno peculiarem repugnantiam quæ hic inueniri potest: nunc probatur antecedens in primis, quia omnis actus conclusionis respicit intrinsecè obiectum vtriusque præmissæ, vt dixi in superioribus, & docui in lib. de anima, ergo sicut idem numero actus conclusionis assentitur suo obiecto propter motiuum vtriusque præmissæ, sic etiam eodem actu potero assentiri propter motiuum fidei, & scientiæ. Deinde eidem conclusioni assentior vnico actu propter diuersas rationes: audito enim præceptore probante suam sententiam mille rationibus; tandem in fine horæ conuictus illis, assentior sententiæ: & sanè non est credibile tunc elici simul tot assensus quot sunt rationes adductæ in discursu lectionis, sed vnicum assensum, quo propter illas omnes simul assentior illi sententiæ.

113. Secundò Probatur à simili voluntatis quæ vnico actu potest eligere idem medium propter diuersos fines, v. g. suadente mihi Petro religionem, vt vtilem ad placendum Deo, ad vitanda peccata, ad quietè viuendum, ad litterarum studia ad moriendū securius, ad abundantius gloriæ premium, & ad alia innumera bona: acquiesco tandem, & eligo religionem propter illas omnes utilitates, quis credat, tot esse actus distinctos, quot fuerunt bona proposita, propter quæ, & ad quæ est vtilis religio? Sanè hoc est contra omnè experientiam. Confirmatur, quia contingit aliquem teneri ad castitatem præcepto naturali, & voto, & alio præcepto positiuo, & occurrente tentatione vnico actu resistit, ne violet illa omnia præcepta, quæ quidem sunt motiua specie diuersa.

114. Tertio Deo reuelante idem mysterium per tres vel quatuor reuelaciones, possum vnico assensu credere mysterium propter omnes illas reuelaciones, & tamen singulæ sunt diuersa numero motiua formalia sufficientia, ergo sicut eodem numero actu possum assentiri propter motiua numero diuersa, sic etiam eodem assensu in specie possum assentiri propter motiua specie diuersa. Consequentia videtur bona: Antecedens verò constat experientia: nam plures veritates, quas fide credimus, reuelatæ sunt per plures reuelaciones, y. g.

per plures scriptores sacros: propter quas omnes reuelaciones simul assentior absque eo quod eliciam rotidem assensus.

Confirmatur primò, quia iudicium mentale hypotheticum, quo ego iudico Petrum esse Romanum, & esse doctum, habet duo obiecta specie diuersa, vt constat, nempe præsentiam Petri Romæ, & eius doctrinam, quorum singula potuissent terminare singulos actus seorsim, & tamen potest intellectus vnico actu vtrumque obiectum complecti, qui actus differat specie à duobus actibus, qui singuli terminarentur seorsim ad singula illa obiecta; cur ergo non poterit intellectus vnico etiam actu complecti duo obiecta formalia, seu motiua specie diuersa, ad quæ seorsim potuissent duobus actibus tendere.

Confirmatur secundò exemplo specierum moralium, quæ licet sint diuersæ, & possint seorsim reperiri; potest tamen dari vnus actus, qui participet duas malitias alioquin specie diuersas, seu vnã tertiam pertinentem ad vitia specie diuersa; qualis est voluntas furandi propter incontinentiam, & luxuriam; quod quidem peccatum complectitur turpitudinem iniustitiæ, & incontinentiæ, quæ singulæ potuissent specificare duo peccata specie diuersa: ergo idem fieri potest in virtutibus, & idem etiam in actibus intellectus, cum nulla assignetur sufficiens repugnantia, vt constabit ex solutione argumentorum.

Obiiciunt primò, quia habitus non potest elicere actum, nisi sub proprio obiecto formali; neque actus potest extendi ad aliud obiectum formale quàm habitus; habitus enim non producit nisi actus similes iis, à quibus genitus est; ergo habitus scientificus non potest immediate concurrere ad actum habentem aliud motiuum diuersum. Respondeo distinguendo Antecedens: si habitus concurrat vt causa totalis, concedo; si concurrat vt partialis concurrente simul alio habitu diuerso nego: exemplum habes in semine animalis, quod habet etiam virtutem limitatam ad producendam prolem similem in specie illi; cuius semen est: & tamen si adiungatur cum semine aliterius speciei, concurrat ad prolem diuersam, vt patet in semine sequi concurrente ad generationem muli & aliis huiusmodi.

Sed contra ex hoc ipso exemplo obiiciunt aliqui secundò, quia ex coniunctione duorum animalium diuersæ speciei non generatur animal habens perfectionem vtriusque, sed aliquod medium minus perfectum, qualis est mulus, qui degenerat à perfectione equi, ergo similiter ex coniunctione illius duplicis principij non generatur actus, qui habeat perfectionem scientiæ & fidei: nã effectus æquiuocus non potest esse perfectior suis causis. Respondeo negando consequentiam. Ratio discriminis est, quod in priori casu deest vna causa requisita ad generandum equum ad cuius productionem requiritur duplex pars, equus, & equa, & cum loco vnus subrogetur asinus, non mirum, quod effectus non habeat perfectionem equi: at verò ad generandum perfectum actum fidei, sufficit habitus & motiuum fidei, quod vtrumque datur in nostro casu, & vltra hæc adiunguntur motiua & principia scientifica, non ergo mirum, quod effectus habeat perfectionem fidei, & scientiæ ex superabundantia causarum; Dices, ergo effectus est perfectior suis causis; Respondeo, est perfectior singulis, trãseat, vtraque, nego, nulla enim est perfectio in effectu,

115

Obiectio 1.

116

Obiectio 2.

quæ

quæ non sit in complexo ex vtraque causa. Sed contra virget Suarez *in presenti, disp. 3. sect. 9. numero 14.* quia effectus esset excellentior vtraque causa simul; nam haberet perfectionem scientiæ & fidei simpliciori modo, & sine distinctione vnius ab alia, quæ perfectio non reperiretur in vtraque causa simul; nam causæ contingerent illas perfectiones sine simplicitate, sed cum distinctione reali inter illas. Respondeo, hoc argumentum retorqueri in visione beata, quæ habet vitalitatem; & supernaturalitatem simplicissimo modo identificatam in ϕ , & tamen procedit à duabus causis, scilicet à lumine gloriæ, & ab intellectu naturali, in quibus vitalitas & supernaturalitas non inveniuntur cum illa simplicitate: quod idem inueniri potest in aliis actibus supernaturalibus: omnes ergo debemus respondere, illas duas causas, licet superentur ab effectu in modo habendi illas perfectiones cum maiori simplicitate: superare tamen ipsum effectum in aliis, nempe in modo continendi illas perfectius, hoc est, eminenter, seu cum virtute producendi illas, ratione cuius perfectionis sunt causæ æquiuocæ, & superant simpliciter, & absolute suum effectum: hoc ergo, quod de principiis visionis beate debemus omnes dicere: dici potest etiam de principiis illius actus, qui sit simul fides, & scientia.

117
Obiectio 3.

Obiiciunt Tertio, quia duæ differentiæ diuidentes, & oppositæ non possunt coniungi in eadem speciem, nam quæuis earum est adequatum constitutum suæ speciei diuersæ: sed actus fidei, & actus scientiæ habent differentias oppositas, ergo non potest vtraque differentia coniungi in vnum actum indiuidibilem. Respondeo, hoc argumentum habere mille instantias contra se; nam actio etiam specificatur ab agente in communi sententia, atque ideo actio ignis est diuersa specie ab actione solis. Et tamen potest dari vna actio, quæ eadem procedat ab igne, & sole concurrentibus simul ad producendum aliquem ignem: quæ quidem actio erit simul actio ignis, & solis. Item in syllogismo cognitio vnius præmissæ differt specie à cognitione alterius præmissæ pro diuersitate specifica obiecti; & tamen actus conclusionis intrinsecè terminatur ad obiectum vtriusque præmissæ simul, & participat aliquid vtriusque. Item Angelus potest per vnam cognitionem cognoscere leonem, & per aliam equum, quæ duæ specie differunt pro diuersitate obiectorum; & tamen potest idē Angelus elicere tertiam cognitionem terminatam ad leonem, & equum; quia vterque continetur sub vna specie impressa Angelica (vt suppono) per quam representari possunt plura obiecta vel omnia simul, vel singula seorsim pro arbitrio ipsius Angeli. Item peritium est diuersa species peccati ab iniustitia; & tamen potest dari vnum peccatum habens malitiam peritij, & iniustitiæ. Denique sicut cognitiones differunt specie pro varietate specifica motiuorum; sic etiam accipiunt talem, vel talem indiuiduationem ab obiectis materialibus: nam assensus fidei, quo credo incarnationem, differt saltem materialiter ab assensu, quo credo resurrectione per ordinē, quem vterque habet ad suum obiectum materiale; & tamen potest dari tertius assensus terminatus per vnicam simplicem indiuiduationē ad vtrumque obiectum materiale: possum etiam vnicō actu voluntatis velle dare prandium Petro, licet pos-

sem etiam singulas partes ptandij per singulos actus velle, scilicet panem, carnem, vinum, &c. sic ergo licet motiuum fidei seorsim possit terminare actum fidei, & tribuere illi suam speciem, & motiuum scientiæ similiter: ceterum potest etiam vtrumque motiuum simul terminare eundem actum, & tribuere illi vnicam differentiam specificam, quæ differat specie à singulis seorsim, & sit alia tertia respiciens vtrumque motiuum, sicut actio ignis & solis habet aliam tertiam speciem actionis diuersam ab actione solis seorsim, & ab actione ignis seorsim. Itaque non coniunguntur in illo assensu duæ differentiæ specificæ oppositæ, sed vnicā simplex habens ordinem intrinsecum ad obiectum formale vtriusque differentie oppositæ.

Dices, ergo ille actus non est in specie actus fidei, sed in alia specie diuersa, ergo non est actus fidei, sicut non esset homo, qui non haberet differentiam specificam hominis. Respondeo, prædictum assensum esse verè actum fidei, non quidem eiusdem speciei cum aliis, sed diuersæ: neque enim actus fidei significat vnam speciem atomam, quæ comprehendat omnes actus fidei, sed speciem subalternam; de cuius ratione solum est, quod sit assensus propter reuelationem obscuram Dei, siue solum illum respiciat, siue etiam aliud diuersum motiuum: homo verò significat vnam speciem atomam. Fateor tamen, posse esse tertiam speciem habentem proprietates hominis, & equi, saltem illas, quæ non opponuntur inter se: quæ nec esset homo, neque equus, sed aliud animal.

Obiiciunt quarto, assensus ille esset obscurus & clarus, euidens & ineuidens. Item si respiceret motiuum probabile, esset certus, & incertus, quæ omnia repugnant. Respondeo, illum esse obscurum respectu reuelationis, quam nullo modo clarè, sed obscure representat: at vero respectu rei reuelatæ absolute esse clarum: licet enim dici possit non tendere clarè in rem reuelatam sub motiuo reuelationis; non tamen debet dici absolute tendere obscure; quia obscuritas simpliciter non solum significat præcisionem, sed realem carentiam claritatis, quam carentiam ille assensus non habet: non est autem de ratione actus fidei quod absolute sit obscurus respectu rei reuelatæ, sed quod non repræsentet eam clarè ex vi reuelationis. Quod idem de euidencia cum proportione dicendum est. Denique si haberet simul motiuum probabile, non debet deberet dici simpliciter incertus respectu cōclusionis, quia incertitudo simpliciter dicit carentiam realem certitudinis: bene tamen dicitur probabilis, quia probabilitas solum dicit respectum ad medium taliter excitans ad assensum, vt ex modo assentiendi per tale medium non tolleretur formido, nisi aliunde daretur certitudo per aliud medium. An verò possit simul tendere ad motiuum probabile, dicemus postea.

Dices: consideremus assensum illum propter præcisè terminatur ad obiectum reuelatum ex vi reuelationis: propterea tendit ne ad obiectum reuelatum clarè, an obscure; euidenter, an ineuidenter: Respondeo, realiter loquendo, illum assensum esse clarum & euidenter rei reuelatæ: præcise autem vnam formalitatem solum illius propter tendit in obiectum, dicendum est: propterea nec tendere clarè, nec obscure, nec euidenter, nec ineuidenter, quia claritas, & obscuritas

ritas sunt differentiae oppositae, quarum una debet convenire actui sub parte rei, non tamen debet convenire actui sub quavis praecisione, & consideratione nostra.

Obiicies quintò, Quia si idem actus posset respicere obiecta propria aliorum diversorum actuum, sequeretur quod possent fieri infinitae definitiones eiusdem rei, quod videtur esse contra Aristotelem, quem affert Suarez *disp. 15. Metaphysicè. 11. à num. 19.* probatur sequela, quia si esset una cognitio infinitorum obiectorum specie diversorum, posset ille actus ita definiti, est cognitio equi, & aliorum, vel ita, est cognitio leonis, & aliorum, &c. & sic in infinitum, assignando semper diversam generam iuxta diversam convenientiam cum aliis diversis actibus, quorum obiecta respiceret illa cognitio; sicut in casu nostro posset definiti ille vnicus assensus ita, est assensus scientificus habens simul rationem assensus fidei: vel ita: est assensus fidei habens simul rationem assensus scientifici: nam aequè esset sub genere scientiae, & sub genere fidei, quare aequè bene posset per utrumque genus definiti.

Respondet, in primis definitiones illas fore vitiosas: nam bona definitio, debet pro genere habere id, quod apud nos saltem est magis commune: ideo enim nunc in definitione hominis ponimus *animal* pro genere, quia nota sunt nobis plurima animalia, cum quibus convenit homo in vita sensibili: quare si de facto non esset productum aliud animal, neque aliud corpus, neque alia substantia praeter hominem, & Angelum, melius definiretur homo dicendo, *homo est intellectivum corporeum*; quia tunc apud nos magis communis esset ratio intellectui, quam corporei. Cum ergo cognitio equi non magis late pateat, quam cognitio leonis, cum utraque possit totidem aliis competere: perperam, & vitiosè poneretur pro genere quilibet illarum, sed deberet dici, est cognitio quaedam habens pro obiecto infinitas species rerum talium, &c. sic etiam assensus, de quo loquimur, non bene definiretur illo modo, cum aequè late pateat ratio assensus scientifici, & ratio assensus fidei: sed deberet definiti ita: est assensus quidam habens simul motivum scientificum, & fidei divinae. Loquendo autem de definitionibus imperfectis & vitiosis, non est absurdum, quod possent infinitae eiusmodi definitiones fieri de tali cognitione infinitarum rerum: neque hoc est contra Aristotelem, qui in illo loco non negat simpliciter infinita praedicata ratione nostra distinguibilia in eadem entitate, sed solum infinita praedicata subordinata, quorum singula sunt sub aliis: at in illo casu praedicata eiusmodi non essent inuicem subordinata, sed disparata inter se, cum singula possent sine aliis reperiri in rebus aliis.

Obiicies sextò, quia non potest saltem naturaliter, & fortasè nec de potentia absoluta, idem effectus dependere à duplici causa adaequata, ergo nec idem assensus potest pendere à duobus motivis totalibus, & adaequatis. Respondetur, illa duo motiva in casu nostro non esse singula adaequata respectu huius assensus, quia tunc solum dantur duae causae adaequatae eiusdem effectus, quando ablata una illarum, maneret idem effectus ex vi concursus, quo dependet ab altera: hic autem assensus ablato uno ex his motivis, non posset villo modo esse cum altero solo, ut diximus. Dicuntur verò motiva totalia solum, quatenus

Card. de Lugo de Virtute Fidei Divinae.

ita approbantur ab intellectu, ut manente altero solum ex illis, fieret alius assensus circa eandem conclusionem propter illud solum motivum, quod remaneret, ut supra explicatum est.

Obiicies septimò, quia non potest produci aliquod animal, quod idem sit leo, & equus: non minus autem differunt specie actus scientiae, & actus fidei, quam leo & equus; ergo non potest fieri vnus actus, qui simul sit scientia & fides eiusdem obiecti. Respondetur, duas species completas cum omnibus suis praedicatis positivis non posse vnquam in actu identiticas in aliqua tertia specie; posse tamen coniungi in aliqua tertia specie omnia praedicata positiva illarum duarum, quae non dicunt repugnantiam ad inuicem. Vnde non potest idem assensus habere omnia praedicata positiva, quae reperiuntur in actu solum scientifico, & in actu solum fidei: quia actus solum scientificus constituitur in sua specie atoma, non per esse scientificum, sed per talem modum participandi rationem scientifici cum tali limitatione, ut inferat essentialiter negationem fidei in eodem actu, quae repugnantia fundatur in ipsa entitate positiva talis actus: reliqua autem praedicata, quae non fundant hanc repugnantiam possunt reperiri in actu fidei. Idem cum proportionem dicendum de leone, & equo; quorum ea praedicata poterunt in vna tertia specie animalis coniungi, quae non fundant specialem repugnantiam: sic enim videmus aliqua praedicata equi, & aliqua asini coniungi in mulo. Sunt autem pleraque praedicata in leone, & equo, quae fundant specialem repugnantiam: nam ferocia leonis, & mansuetudo nativa equi coniungi non possunt: sicut neque etiam voracitas carni, quae est in leone, & horror illius cibi, qui est in equo, & alia eiusmodi: & in vniuersum omnia praedicata, & proprietates, quae oriuntur ex tali temperamento primarum qualitarum: cum enim non possit idem animal exigere temperamenta diversa, & contraria primarum qualitarum, consequens est, ut omnes proprietates leonis, quae ad tale temperamentum sequuntur, non possint reperiri cum proprietatibus equi, quae consequuntur ad eius proprium temperamentum, quod est diversum à temperamento leonis, ut constat. Ob eandem rationem praedicata positiva albedinis, & nigredinis non possunt simul convenire in qualitate tertiam, neque etiam caloris, & frigoris, quia habent ad inuicem manifestam repugnantiam, & contrarietatem, qua se inuicem expellunt ab eodem etiam subiecto, quanto magis repugnabunt identitati? At verò praedicata communia scientiae, & fidei, praescindendo à limitatione positiva solius scientiae, aut solius fidei, non habent vllam repugnantiam ad inuicem, quae impediatur, ne reperiantur identiticas in aliqua tertia specie.

Sed contra obiiciunt octauò, quia etiam in intellectu repugnat tertia species actus, quae simul sit simplex apprehensio, & iudicium; vel etiam affirmatio, & negatio; quia haec omnes sunt species actuum, vel genera diversae; ergo nec poterit esse tertia species actuum, qui simul sint fides, & scientia. Respondetur, quidquid est perfectionis in apprehensione circa representationem obiecti, reperiri etiam in iudicio, non tamen reperiri imperfectionem, quae significatur nomine *simplicis apprehensionis*, quae est limitatio positiva intrinseca talis actus, qua determinatur ad sciendum

L. intr.

124
Obiectio 7i

125
Obiectio 8i

intra limites apprehensionis, nihil affirmando, vel negando de obiecto: quod prædicatum aperte repugnat, quod sit in actu iudicij, quod non sistit in apprehensione sola, & ideo non mirum, quod non possit esse tertia species, quæ habeat perfectionem iudicij; & illam etiam imperfectionem simplicis apprehensionis. Repugnantia item inter affirmationem, & negationem clarissima est, cum neque esse possint simul in eodem intellectu, multo minus in eodem actu. Cuius rationem reddidi in Philosophia ex eo, quod intellectus non potest affirmare id, quod ei proponitur ut omnino falsum; cum autem esse & non esse simul idem obiectum sit omnino falsum, & impossibile; hinc est, ut nec de potentia absoluta possit intellectus etiam per duos actus affirmare distincte simul, & negare idem obiectum; quia eo ipso iudicaret, idem simul esse, & non esse: quæ ratio multo magis urget in ordine ad eundem actum, qui simul affirmaret, & negaret idem obiectum; quod esset dicere idem simul esse, & non esse. Quæ rationes non procedunt in eodem actu, quo affirmetur simul idem obiectum ex motu fidei, & ex motu scientifico.

126
Obiectio 9.

Obiiciunt non, habitus proportionantur cum actibus in modo tendendi ad obiecta; ergo sicut datur vnus actus tendens ad vtrumque motuum formale, ita posset dari vnus habitus tendens ad eadem motiua, ergo ille assensus non procederet ab habitu fidei, à quo fiunt ceteri actus fidei, sed ab alio habitu peculiari, qui etiam esset virtus theologica ultra tres habitus theologicos, qui communiter admittuntur.

Respondeo, si sermo sit de habitibus acquisitis, facile concederem, per actus naturales habentes plura motiua posse generari habitum, seu facilitatem operandi circa illa omnia motiua. Hæc enim facilitas ferè non est nisi species impressa benè disposita ad representandum simile obiectum (vt dixi in Philosophia) quæ species facillè gignitur ex specie expressa representante eadem obiecta. Si verò sermo sit de habitibus infusis, cum isti non generentur per actus, sed habeant se ad modum potentia, quantumuis actus habeat plura motiua, non relinquunt habitum supernaturalem ad similes actus iterum eliciendos; sed illi actus sicut ab habitu fidei immediatè, concurrente simul intellectu, & præmissa naturali ad illum actum, prout versatur circa aliud motiuum naturale. Nec oportuit, ab initio dari alium habitum supernaturalem ordinatum ex se ad huiusmodi actum cum isto duplici motiuo: tum quia combinationes, quas intellectus, & voluntas possunt facere ex diuersis motiuis, innumeræ sunt, & innumeræ essent dandi habitus supernaturales; tum etiam quia non erant necessarij sufficit enim ad hunc actum mixtum coniunctio habitus fidei cum principiis naturalibus, vt generetur ex vtroque principio actus sapiens naturam vtriusque.

127

Aliter hanc nostram sententiam oppugnant alij Recentiores, qui concedunt quidem de potentia absoluta Dei non repugnare eiusmodi actum, qui simul sit fidei & scientiæ; negant tamen de lege ordinata, & de facto posse dari. Quod probant hoc argumento, quia, si daretur, esset supernaturalis, hoc autem repugnat, nam habitus naturalis scientificus non potest concurrere ad actum supernaturalem, nisi eleuetur ab aliquo alio comprincipio, nempe ab habitu fidei: sed habitus fidei non potest eleuare habitum naturalem

ad actum illum, ergo habitus scientificus non potest conuenire. Minor probatur, quia habitus fidei non potest eleuare ad operandum supernaturaliter circa aliud obiectum, quod non sit obiectum formale, vel materiale fidei, quale non est obiectum scientificum, ergo actus ille prout scientificus, esset quidem supernaturalis, & non procederet ab aliquo principio supernaturali, in cuius virate contineretur.

Hoc argumentum multum probat: nam probaret etiam nullam conclusionem Theologicam esse posse supernaturalem; debet enim concurrere cum præmissa de fide alia cognitio naturalis, quæ debet etiam eleuari ab habitu fidei, vel alio comprincipio ad illam conclusionem supernaturalem eliciendam: cum ergo Conclusio Theologica versetur circa aliud obiectum præter obiectum fidei, non poterit fides concurrere, aut eleuare præmissam naturalem ad illum effectum producendum. Consequens autem esse falsum, ostendi in superioribus; sequeretur enim cognitionem illam, quæ immediatè dirigit ad operandum honestè, debere esse semper naturalem: nunquam enim aut vix vnquam dirigere potest immediatè actus mere fidei, sed debet semper dirigere mediatè per conclusionem aliquam prædicam dictantem hinc & nunc bonum esse taliter operari, quia fides docet pauperem subleuandum, & iste apparet sufficienter pauper: quia fides docet, Christum esse adorandum, & est moraliter certum, quod hæc hostia sit consecrata, & contineat Christum, &c. qui actus nisi sint supernaturales, voluntas honesta, quæ consequitur, non erit supernaturalis in sententia horum Theologorum.

Ad argumentum ergo Responderet, in primis assensum illum esse supernaturalem totum, quia cum sit indiuisibilis, & procedat ab habitu infuso, totus est talis, vt non possit fieri viribus naturæ solis, quod sufficit ad supernaturalitatem: vnde consequenter dicendum est, habitum scientificum eleuari ab habitu fidei ad illum actum producendum, nam sicut habitus fidei potest eleuare species naturales, vt concurrant ad actum supernaturalem; sic potest eleuare aliud comprincipium naturale, vt concurrat cum habitu ipso fidei ad actum vtrique communem. Illud autem, quod assumitur, quod scilicet habitus fidei non possit eleuare comprincipium naturale ad actum circa obiectum, quod non sit fidei, est omnino falsum: nam licet fides sola non possit versari nisi circa suum proprium obiectum: fides tamen cum alio comprincipio potest operari partialiter circa alia obiecta non sua. Quod quidem multipliciter ostendi, & probari potest. Primum ad hominem, quia ij Theologi admittunt, posse dari aliquem actum, qui idem sit scientiæ & fidei humanæ, & assentietur conclusioni propter vtrumque motiuum, in illo ergo actu fieri potest idem argumentum: ille enim actus est vere scientificus, & prout etiam versatur circa obiectum fidei, est perfectior, quàm posset à sola fide humana fieri; quare debet fides humana eleuari supra suam propriam sphaeram, vt producat illum actum scientificum. Quomodo ergo potest habitus scientificus eleuare fidem humanam ad producendum actum perfectionem in sua entitate, etiam prout versatur circa obiectum formale non scientiæ, sed fidei?

Secundò explicatur, & probatur ad hominem hoc ipsum in habitibus supernaturalibus, vel naturalibus

ruralibus voluntatis: admittunt enim, posse voluntatem vno eodemque actu amplecti aliquod obiectum propter motiua plurium virtutum, concurrentibus habitibus simul illarum omnium virtutum. Tunc ergo apparet, quod virtus inferior v. g. temperantia, producit simul cum charitate actum simul charitatis & temperantia; debet ergo eleuari à charitate, vt possit concurrere ad actum, qui totus in sua enitate nobilior & perfectior est, quam esset si esset solum actus temperantia. Ecce quomodo charitas eleuat temperantiam ad eliciendum actum perfectiorem circa obiectum formale temperantia, licet illud obiectum non pertineat ad obiectum formale charitatis.

Tertio eadem fides eleuat species naturales, non solum quatenus representant obiecta fidei, sed etiam quatenus representant alia obiecta omnino impertinentia. v. g. quando aliquis credit Christum tercia die resurrexisse, virtus specie naturali, quam habet Christi resurgentis, propterea vidit in imagine cum vestibus, & vexillo; quæ species eleuatur ad producendum actum fidei supernaturalem, quo licet non affirmetur vestitus ille, apprehenditur tamen, & obicitur Christus cum veste illa, & de illo affirmatur resurrectio. Ecce species obiecti impertinentis, quod nullo modo creditur per fidem, eleuatur à fide ad producendum actum supernaturalem, quo exprimitur illud etiam obiectum. Quid mirum quod eleuet scientiam naturalem, vt cum fide producatur actum supernaturalem circa vtrumque motiuum?

Ratio à priori est, quia sicut eo ipso quod scientia potest tendere in tale obiectum, habet virtutem concurrenti cum omnibus principiis in ordine ad actum illum, qui tendit in tale obiectum formale, & ideo potest concurrere cum fide humana, & quasi eleuare illam ad actum fidei, & scientia, quia ille actus tendit ad obiectum formale scientia: ita fides diuina, & quilibet habitus supernaturalis eo ipso, quod potest tendere ad tale obiectum formale, potest concurrere ad omnes actus, qui habeant tale obiectum formale, & consequenter concurrere cum omnibus aliis principiis talium actuum, & ea eleuare; quia totum hoc facit in ordine ad suum obiectum formale, quod attingitur per talem actum. Non potest ergo fides sola versari circa obiectum formale scientia; potest tamen simul cum scientia, & potest eleuare scientiam, vt simul cum fide eliciat talem actum, quia ille actus versatur circa obiectum formale fidei, quod sufficit: sicut potest eleuare species circa vestem Christi resurgentis, licet sola fides secundum se non respiciat tale obiectum, nec possit illud credere.

Sed contra obiiciunt iterum iidem Recentiores, quia tanta potest esse diuersitas inter duas causas naturales, vt non possint concurrere ad causandum vnum effectum communem, nam licet ex equo, & asina generetur tercia species animalis, & ex pruno insito in amygdala generetur fructus; non tamen poterit ex Camelo, & lepore, vel ex ficu, & cucurbita propter magnam diuersitatem: maior autem est diuersitas inter fidem, & scientiam, cum vna sit supernaturalis, altera naturalis; ergo non poterunt coalescere ad producendum actum, qui sit proles vtriusque communis.

Respondetur, magna etiam est diuersitas in Card. de Lugo de virtute Fidei diuina.

ter actum fidei humanae, & scientia; & maior quam inter duos actus scientia; & tamen ipsi admittunt, posse eandem conclusionem vnico actu elici ex vtroque motiuo, & non potest ex duplici scientia circa obiecta diuersa; item magna est diuersitas inter virtutem charitatis & temperantia; & tamen potest vtraque concurrere ad eundem actum. Non debet ergo attendi diuersitas principiorum secundum suam entitatem, sed obiectorum: quando enim obiecta sunt talia, vt possint coadunari in vno actu, eo quod vtrumque moueat ad idem obiectum materiale, potest vtrumque principium concurrere; quia habitus intendunt exprimere in suo actu imaginem, vel affectum sui obiecti: & ideo admittunt consortium cuiuslibet comprincipij, à quo fiat actus talis; qui exprimat talem imaginem, vel affectum. Et quidem si Camelus posset cum lepore producere prolem, quæ exprimeret similitudinem sui, non reiceret illud comprincipium, nec ficus reiceret insitionem cucurbitæ, si ex vtraque fieret fructus referens similitudinem ficus. Ratio vniuersalis est, quod habitus infusi, qui dantur in via, non dantur ad actum dissimilem in modo exprimentis, aut tendendi ad obiecta, sed ad actus omnino similes, addita sola supernaturalitate propter ordinem ad principium supernaturale: quoad reliqua verò seruetur idem ordo, & modus operandi ita vt quando, & quomodo fieri deberet actus naturales, fiant eorum loco alij supernaturales, atque ideo misceri debuit vtraque series operationum, & actuum, & sic sese inuicem adiuuare: possunt etiam imperari supernaturales à naturalibus, & e contra: nam sicut potest voluntas supernaturalis imperare intellectui, speculationem quaestionis philosophicae, quæ fit per actus naturales; ita poterit imperare voluntati exercitium alicuius virtutis naturalis, quæ non procedat ex fide, sed ex cognitione naturali. Alioquin si non esset hec mixtio vtrorumque actuum, sequeretur quod propositis motiuis virtutum naturalium, & supernaturalium ad idem obiectum amplectendum, & volente homine illud amplecti, propterea facere solet, propter omnia illa motiua, non posset, sed cessaret ab amore illius obiecti, vel certe eliceret actum naturalem solum; quod quidem esset cum detrimento meriti: quare, cum Deus voluerit, quotiescunque est occasio eliciendi actus meritorij, concurrere concursu supernaturali; debuit consequenter dare virtutem habitibus supernaturalibus concurrenti cum aliis comprincipijs ad quemcumque actum bonum; perinde ac si omnes essent eiusdem ordinis.

Vltimo obiiciunt, quia misericordia infusa non potest de facto concurrere cum misericordia naturali ad eundem actum misericordiae, ergo nec fides & scientia naturalis ad eundem actum communem. Antecedens probant, quia si id fieri posset, fieret de facto, quoties iustus elicit actum misericordiae, cum semper proposita sint vtriusque virtutis motiua. Consequens autem est falsum; quia ille actus esset supernaturalis, & non posset percipi, atque adeo deberet elici alius actus naturalis à sola misericordia naturali, qui posset percipi.

Hoc argumentum procedit ex falsis principiis: dicimus ergo, id posse contingere, non tamen semper, quia non semper adest cognitio requisita ad operandam operationem: vtriusque

virtutis: nam misericordia infusa operatur ex bonitate misericordiae cognita per fidem propter auctoritatem Dei, ut suppono ex tractatu de gratia; misericordia verò naturalis ex cognitione eiusdem bonitatis per lumen naturæ, & rationes naturales. Si autem contingat proponi utrumque, poterit fieri vnicus actus ex vtraque cognitione, qui licet sit supernaturalis, potest & debet percipi ab homine, qui eum habet, ut diximus in superioribus.

134
Idem assensus potest versari circa aliquam veritatem immediatam, & mediata.

Ex dictis infero primò, posse eundem numero assensum versari circa aliquam veritatem immediatam, & ex apprehensione terminorum, & circa eandem mediata propter aliquod motiuum rationis, vel auctoritatis: possum enim assentiri, tum quia obiectum ex terminis apparet verum euidenter, tum etiam quia Deus id reuelat, vel quia infertur euidenter ex principiis certis. & tunc ille actus erit simul primum principium, & simul conclusio respectu eiusdem obiecti materialis. Item eodem actu voluntatis possum velle aliquod obiectum, v. g. potum ut finem propter bonitatem, & delectationem, quam in se habet; & ut medium vtile ad sanitatem v. g. quia sicut possum velle idem medium ut vtile ad duos fines sic etiam idem obiectum propter se, & propter alium finem, de quo dixi late in tractatu de actibus humanis.

135
Quomodo Deus habeat actum formalis amicitiae erga homines.

Infero secundò decisionem facilem illius questionis, de qua in materia de voluntate Dei, & in materia de charitate, quomodo Deus habeat actum formalis amicitiae erga homines, si quidem omnia vult Deus propter semet ipsum. Respondetur enim facile ex dictis, Deum velle bonum hominis propter semet ipsum, atque etiam propter ipsum hominem, ita ut habeat duplex motiuum formale ad volendum hominis bonum, in quo dicendi modo facile superantur difficultates illius controuersiae. De hoc tamen dicemus agendo de charitate.

136
An idem assensus possit esse ex motiuo fidei, & ex alio motiuo probabili.

Petes primò, an sicut potest idem assensus esse ex motiuo fidei, & scientifico, possit etiam esse ex motiuo fidei, & ex alio motiuo probabili. Affirmat Hurtado dicta disp. 31. §. 21. & sequentibus, & disp. 32. §. 17. quando medium opinatiuum, & conclusio ex vi illius non contineant falsitatem; neque ego video inconueniens in eo actu. Quod epim aliqui opponunt, quod ille actus afferret, & non afferret formidinem, quia assensus opinatiuus eo ipso est formidolosus, & assensus fidei est firmus, & sine formidine: hoc, inquam, facile explicatur, sicut dictum est de claritate, & obscuritate. Fatemur ergo, assensum illum esse formidolosum respectu ipsius medij opinatiui, quod quidem non creditur firmiter, neque per fidem. Loquendo verò de ipso obiecto conclusionis, illud creditur firmiter & absque vlla formidine; quam firmitatem non habet à medio opinatiuo, sed à motiuo fidei, & ab imperio piæ affectionis: quare non debet concedi, quod obiectum conclusionis credatur cum formidine, nec etiam propter creditur propter medium probabile & opinatiuum, nisi ad summum radicaliter, vel præcisè, hoc est, intellectum non ita fidere illi medio opinatiuo, ut propter ipsum solum cohiberet formidinem, quam de facto cohibet propter medium fidei, quare licet cum illo eodem actu non possit esse formido, posset tamen esse cum illo eodem medio opinatiuo seorsim à motiuo fidei, & hunc defectum medij ostendit intel-

lectus in ipso modo assentiendi propter illud medium, ostendens simul se non cohibere formidinem intuitu illius, sed intuitu alterius medij fidei. Nam sicut diximus, posse, & debere intellectum in ipso modo assentiendi indicare, an moueatur ab illo medio totaliter, an solum partialiter, & cum dependentia ab alio motiuo, sine quo non moueretur ab hoc solo; ita dicendum est, intellectum in ipso modo assentiendi significare, an cohibeat formidinem intuitu huius medij, an intuitu alterius, an intuitu singulorum, vel solum intuitu complexi ex vtroque: & in hoc sensu manet illud medium opinatiuum & formidolosum, quia quantum est ex vi illius, non expellitur formido circa conclusionem; non est tamen assensus formidolosus conclusionis: quia reuera nulla est formido respectu conclusionis, quamuis non expellatur formido intuitu medij opinatiui, sed alterius.

Quod explicari, & probari optimè potest in voluntate; quando, v. g. aliquis dolet de peccatis propter offensam Dei, & rursus propter paupertatem, quam peccata, & vitia ei artulerunt: potest enim homo vnico actu dolere propter vtrumque motiuum; non tamen habebit actus ille æqualem firmitatem ab vtroque motiuo: nam pro vt dolet propter offensam Dei, dolet super omnia, & proponit firmissimè non peccare, quam firmitatem, & appetitionem super omnia non tribuit alteri motiuo, neque enim odit paupertatem super omnia, nec proponit eam fugere firmissimè supra mortem, & alia omnia mala. Ecce ille actus circa vnum motiuum est firmissimus, & dolor summus, circa alterum infirmus, & non summus dolor: circa peccata verò est firmissimus, & super omnia; & licet hanc firmitatem non habeat intuitu motiuo paupertatis: non tamen habet ab eo motiuo infirmitatem positam circa peccata, sed solum in ipso modo attingendi motiuo explicat voluntas eorum inæqualitatem, hoc est, non ita se moueri à paupertate, ut cessante offensa Dei propter solum paupertatem dolet super omnia de peccatis, & velle in omni profusus euentu ea vitare. Quod ergo ibi dicitur de infirmitate doloris, dicendum est in nostro casu proportionem de formidine, quæ est infirmitas in assensu intellectuali, sicut est contrarietas in actu voluntatis videtur esse quasi quædam formido, & incertitudo in volendo aliquo obiecto.

An verò dicendus sit assensus ille opinatiuus, & probabilis, non solum respectu medij opinatiui (de hoc enim non est dubium) sed etiam respectu conclusionis, ita vt verè dicatur homo tunc habere opinionem, & probabilitatem etiam de articulo fidei, sicut dicitur habere scientiam & euidentiam de illo, quando assentitur simul propter motiuum scientificum, & motiuum fidei: est questio de nomine. Qui enim diceret, opinionem, aut probabilitatem non dicere in suo conceptu carentiam firmitatis, & certitudinis, sed solum assensum propter medium incertum & infirmum, præcisè ab eo, quod assensus sit vel non sit aliunde certus: diceret consequenter, assensum illum esse probabilem, & opinatiuum etiam respectu conclusionis, non tamen solum probabilem, & opinatiuum sed simul certum & firmum absque omni formidine. Melior tamen videtur modus loquendi, & omnino retinendus, vt simpliciter & absolute negetur ille assensus esse

probabilis, vel opinatus respectu articuli crediti; pro ut loquitur etiam Hurtado *diuina disp.* 3 r. §. 23. & *disp.* 3 2. §. 17. Nemo enim Catholicus patienter audiet, si dicas, te opinari, Christi corpus esse in Eucharistia, vel probabile id tibi videri: ex his quippe loquendi formulis audientes concipiunt, vel contrarium aestimari etiam à te probabile, vel certè hoc non haberi pro certo. Cum ergo simus in questione de nomine, vtendum est his vocibus *opinionis*, & *probabilitatis* in sensu, quo ab auditoribus communiter intelliguntur, qui est excludens certitudinem, & firmitatem assensus. Vnde non est simile de actu simul scientifico, & fidei: nam qui dicit, se habere scientiam, & euidentiā de immortalitate animæ rationalis, non significat incertitudinem, aut infirmitatem in assensu, sed significat solum claritatem: neque etiam qui dicit se habere fidem de eodem obiecto, significat apud audientes, se non habere ex alio medio euidentiā de eodem obiecto, sed solum significat, se id firmissimè credere propter diuinam auctoritatem: cum tamen qui dicit, se habere opinionem de animæ immortalitate, vel id sibi probabile esse, significet, se non habere certitudinem. Qui modus significandi, & concipiendi ad eum communis, & receptus est, vt etiam non per vnicum & eundem actum attingantur illa duo motiua, sed per diuersos, itavt per vnum attingatur motiuum solum fidei, & per alterum motiuum solum argumenti probabilis, adhuc non posse dicere simpliciter, & absolute, te habere opinionem, vel probabilitatem de illo obiecto: quia per hoc significat eandem certitudinis, & firmitatis non solum in eodem actu, sed etiam in eodem intellectu; quod constat ex eodem argumento, quia ita loquens ab omnibus reprehenderetur tanquam infirmus in rebus fidei nec se exquirit sufficiens dicendo, se per alium actum credere firmissimè idem obiectum ex fide. Sed deberet dicere se ex tali motiuo probabiliter habere opinionem de illo obiecto, & aestimare illud probabile ex vi illius motiui. Neque enim magister, qui habet plura argumenta, aliqua demonstrationa, aliqua probabilia ad eandem conclusionem probandam, asserit simpliciter, & absolute, conclusionem illam esse probabilem, quia per hoc significat apud omnes, non habere euidentiā de tali conclusione.

139
Et quid si motiuum probabile non esse verum.

Dices, ponamus motiuum probabile non esse verum, vel non bene inferre rem reuelatam; tunc ille assensus erit ex eo capite falsus; non enim repugnat probabilitas cum falsitate; ergo manebit idem numero actus fidei, & falsus. Respondeo illum assensum esse verum respectu rei reuelatæ, & reuelationis licet sit falsus vt versatur circa motiuum falsum. Quo supposito aliqui non reputant inconueniens, quod detur concursus supernaturalis ad actum identicè falsum. Ita tenet Salmasius *2. som. in 1. 2. tract. 1. 1. disp. 1. sect. 3. n. 41.* sed quidquid sit de hoc, facilius negatur, eo casu fieri actum fidei diuinæ, nam sicut in simili diximus de actu voluntatis in *tract. de actibus humanis* non esse supernaturalem, quoties ab alia circumstantia etiam partiali est formaliter malus; ita dici potest de actu fidei, qui quia est actus virtutis intellectualis, debet esse verus; cum ergo tunc non esset simpliciter verus, non esset actus fidei diuinæ nec supernaturalis in entitate.

140
Petes secundo, an sicut diximus, posse vnicum assensum respicere duo motiua singula vt totalia, Card. de Lugo de virtute Fidei diuinæ.

& posse etiam respicere singula vt partialia, & cum dependentia vnius ab alio, ita vt cessante altero; intellectus non assentiatur conclusioni; sic etiam possit idem actus respicere duo motiua, alterum tanquam totale, & quo manente solo, adhuc retineretur assensus conclusionis: alterum verò vt motiuum parziale, & propter quod solum, ablato alio non assentiretur conclusioni. Respondeo affirmatiuè: neque enim in hac combinatione motiuorum apparet specialis repugnantia, supposita possibilitate alterius duplisc combinationis supra explicata. Aliunde verò videtur id colligi posse ex voluntate, quæ hoc etiam modo videtur de possibili, atque etiam de facto attingere duo, vel plura motiua, non semper omnia æqualiter, sed cum inæqualitate motionis, quam inæqualitatem explicat ipsemet actus voluntatis. Sic enim qui negotij proprii causa vult venire Romam, ordinat etiam suum aduentum, vt negotium amici expediatur, propter quod tamen solum non veniret, licet eo cessante veniret propter solum proprium. Similiter ergo intellectus potest moueri ad assensum propter aliquod motiuum, quod solum ei sufficeret & confirmari potest ad eundem assensum alio quodam motiuo, propter quod solum non assentiretur.

141
Quod rursus in eodem intellectu probari potest, quando assentimur, & credimus aliquid propter testimonium viginti hominum id testificantium; quod quidem propter vnius, vel duorum testimonium non crederemus: tunc enim testimonium duorum partialiter mouet, non tamen sufficienter; nam ablatis aliis, & manentibus illis duobus solis, non crederemus: è contra verò: ablatis illis duobus, & manentibus aliis octodecim, adhuc crederemus: vnde non æquè mouemur ab his duobus, ac ab aliis octodecim, licet partialiter ab illis etiam duobus moueamur.

142
Imò in casu etiam nostræ questionis, quando vnico assensu credimus ex motiuo fidei, & motiuo scientifico, apparet in ipso modo assentiendi inæqualis motio vtriusque motiui: nam licet singula sint motiua totalia, itavt quolibet ablato, adhuc assentiremur propter motiuum remanens; non tamen assentiremur eodem modo: quia ablato motiuo fidei, non assentiremur æquè firmiter, & super omnia, sicut credimus res fidei. Non ergo mouemur æqualiter ab vtroque illo motiuo, sed assentimur quidem firmiter, & certò propter vtrumque; firmissimè verò solum propter motiuum fidei; & totam hanc inæqualitatem significamus per talem modum assentiendi, tribuendo vnicuique motiuo suum gradum motionis inæqualem. Similiter ergo possemus assentiri propter duo motiua, significando ex parte vnius motionem partialem solum, & cum dependentia ab alio motiuo, & ex parte alterius motionem totalem, & sufficientem independentem ab alio motiuo.

143
Vnde rursus infero, etiam quando credimus propter duo motiua solum partialia, quorū neutrum sine altero nos moueret ad assentiendum, posse nos inæqualiter ab iis moueri, itavt magis assentiamur propter vnum, quàm propter alterum, & hanc inæqualitatem significemus in ipso modo assentiendi propter motiua. Hoc experimur frequenter in voluntate, qua volumus aliquid, v.g. propter preces duorum, quorum vnus non sufficeret ad impetrandum, quia tamen non audemus vtrique negare, id concedimus: sed quia

Aut idem assensus posse respicere duo motiua vt totalia, alterum vt partialia?

Inæqualis motio vtriusque motiui apparet cum vnico assensu credimus ex motiuo fidei, & scientifico.

Quando credimus propter duo motiua solum partialia, quorum neutrum sine altero nos moueret, possumus inæqualiter ab iis moueri.

alterum magis reueremur, vel diligimus, magis mouemur ab eius precibus. Item in intellectu, quando credimus duobus testibus, quod vni soli non crederemus: quia tamen alter maioris est auctoritatis, magis mouemur ab eius testimonio ad credendum. Vnde iudex, qui aliquando non credit vni testi etiam ad torquendum reum, accedente tamen aliquo indicio, vel adminiculo, credit ad eum effectum, sed magis mouetur à teste, quàm ab indicio, vel adminiculo accedente, licet à neutro totaliter moueatur. Ratio autem sumitur ex supradictis, quia intellectus, & voluntas, quando assensum, vel consensum præstant, non solum approbant motiua, & ea explicant, sed etiam explicant gradum approbationis, & quantum singulis motiuis deferant, ne confundant motiua omninò inæqualia, æqualem eis affectum, vel consensum exhibendo.

144

Intellectus unde determinetur ad eliciendos duos actus, vel vnum tantum, quando proponuntur motiua diuersa assentiendi.

Petes vltimò, quando proponuntur duo motiua diuersa assentiendi, propter quæ intellectus possit duobus actibus diuersis assentiri, vnde proueniat, quod aliquando duos actus eliciat circa illa duo motiua, aliquando vnum solum, quo vtrumque motiuum complectatur, v. g. si proponitur ratio Philosophica, & simul motiuum fidei ad credendam immortalitatem animæ, vnde determinetur intellectus ad eliciendos duos actus, alterum scientiæ, alterum fidei distinctos, vel ad eliciendum vnum solum, qui idem sit actus scientiæ, & fidei; cum enim intellectus sit potentia necessaria, videtur, quod si semel elicit duos actus, semper debeat duos elicere, vel è contra, si semel elicit vnum solum, semper debet vnum, & non duos elicere. P. Hurtado *disp. 31. §. 1. 1.* dicit, quando fides iam præcessit cum suo actu, si postea accedat demonstratio, generari alium actum scientificum, qui sit simul cum actu fidei, & è contra: quia adueniente demonstratione, non est cur pereat actus præcedens fidei, neque è contra. Si verò simul applicetur vtrumque motiuum (quod intelligo de simultate temporis, & naturæ) fieri vnicum actum ab vtroque habitu, & motiuo; quia non est, cur multiplicentur actus. Quæ probabiliter dicuntur, & addi potest, licet Angelus fortasse, qui maiorem reflexionem, & potestatem habet supra proprios actus, possit voluntate sua determinate intellectum ad vnum, vel distinctos actus eliciendos circa plura motiua; nos tamen, qui nec experimur vnitatem, vel pluralitatem actuum, quos simul elicimus, nec scimus modum concurrenti ad vnum vel plures actus simul eliciendos, non videri tantam potestatem habere in nostrum intellectum, vt possimus pro arbitrio nostro determinare illum ad vnicum, vel plures actus simul eliciendos circa idem obiectum sub diuersis motiuis, sed solum posse imperare assensum, vel dissensum propter tale motiuum. Possimus quidem imperare actus distinctos, imperando successionem vnius actus post alium, quam actuum distinctionem ortam ex successione tempore bene percipimus: quod autem simul sint plures actus, vel vnicus circa plura obiecta formalia, non videmur posse imperare immediate, sed solum substantiam assensus, vel dissensus propter talia motiua, quam tendentiam in motiuum nos percipimus, relinquendo intellectui, vt id faciat iuxta suam naturam eo modo, quo tunc facere potest. Neque enim inuenimus potestatem in anima nostra imperandi sibi, aut suis potentiis aliquid, quod postea aliquo modo co-

145

gnoscere non possit, an ita factum sit, nec apparet ad quid deferuiet talis potestas imperandi, cum homo nunquam agnosceret effectum, vel vtilitatem sui imperij, neque eam posset agnoscere.

DISPUTATIO III.

De obiecto materiali fidei.

SECTIO I. *Quod sit obiectum materiale adæquatum nostræ fidei.*

- II. *Virum obiectum fidei sit aliquid complexum.*
- III. *Virum sit aliquis ordo inter obiecta fidei.*
- IV. *Virum articuli fidei conuenienter in symbolo tradantur.*
- V. *Virum obiecta materialia fidei successiue creuerint, et decreuerint.*



OSTQVAM egimus de obiecto materiali fidei, seu de motiuo credendi, sequitur, vt agamus de materiali, seu de his, quæ creduntur, vt plenè cognoscatur fidei obiectum & doctrina S. Thomæ in hac quaestione prima omnino explicetur.

SECTIO I.

Quod sit obiectum materiale adæquatum nostræ fidei.

IN hac quaestione multa miscentur de nominibus & multæ sententiæ afferuntur diuersæ, quæ si res bene intelligantur, ferè conueniunt, vel parum possunt differre. Supponendum ergo in primis est id quod *disputatione prima sect. 1.* diximus, obiectum materiale in presenti vsurpari pro eo, cui propter aliud assentimur; nam licet aliquando obiectum materiale dicatur illud, quod non terminat cognitionem immediate per suam entitatem, sed per aliquid sibi inherens, vt patet dicitur obiectum materiale visionis, quia formaliter videtur sola albedo parieti inherens, illud tamen solum est obiectum denominatiue, & per accidens: nos autem loquimur in presenti de obiecto materiali quod immediate terminat actum fidei per suam entitatem; quare à nonnullis appellatur obiectum formale quod, vt distinguant illud à motiuo assentiendi, quod appellatur obiectum formale quo. Sic loquitur Valentia in *presenti disputat. 1. quest. 1. part. 1. §. 3.* melius tamen appellatur obiectum materiale cum sancto Thoma in *presenti artic. 1.* quia fides versatur circa illud vt informatum per auctoritatem, & reuelationem diuinam tanquam per obiectum formale.

Supponendum secundò, in obiecto materiali fidei posse distingui id de quo aliquid creditur, & id quod creditur. Primum dicitur subiectum, secundum verò prædicatum: & vtrumque simul dicitur obiectum complexum, seu tota propositio obiectiua.